



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 69. Præscripta hujus conjurationis forma duobus articulis comprehensa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.
A. C. 1560.

missam cernebant, mox in eadem urbe necessaria ad exequendam hanc conjurationem media arrispuerint. Fertur quoque, inter infandi hujus sceleris Auctores haud postremum fuisse Theodorum Bezam: ast utut res se habuerit, id tamen omnino compertum habetur, quod hujus seditionis caput a conjuratis selectus fuerit Princeps Condæus, cujus tamen nomen initio non fuit editum, eoquod ille, priusquam aperte se conjuratorum Ducem profiteretur, præstolari vellet, donec hujus consilii incentores ad exequenda sua molimina sat virium haberent: interea vero ei tanquam secundus ab Imperio subrogatus est Godofredus Barius Renaudius Nobili familia in Petrocoriis ortus, qui ob nefanda scelera in carcerem conjectus a Guisio Duce nuper defuncto, qui utriusque Franciæ Ministri Parens erat, inde liberatus, postea Bernam, inde vero Genevam secessit, ibidemque Protestantium sectam professus est.

§. LXIX.

Præscripta hujus conjurationis forma duobus articulis comprehensa.

Ceterum juxta Historicos conjuratorum postulata duobus duntaxat articulis constringebantur: placuit enim
I. ut porrecto libello supplici per inermem

Thuan. l. c.
Pall. l. 14.
c. 12. n. 10.
§ 11.

mem, magnam tamen hominum multitudinem Rex rogaretur, quatenus extinguere juberet belli flammam hucusque accensas adversus infelices, ac propemodum infinitos homines, qui nullius alterius criminis rei sunt, nisi quod clam pro Dei honore & animarum salute Zelum suum exercuissent. II. Decernebant, ut primo vix porrecto, ac quocumque demum responso accepto mox alius libellus supplex Regi traderetur, in quo ab eo petatur, ut mulieribus, & exteris a regimine exclusis imperii auctoritatem ad Generales Regni Ordines, necnon ad Principes Regio sanguine factos transferret, quamdiu Franciæ Reges tutorum potestati subiecti essent, quos tamen ipsi velut tutelam egressos agnoscere nollent, nisi expleto decimo quarto ætatis anno. Ex hoc petito sat luculenter apparet, quod nomine mulierum, quas a regimine exclusas cupiebant, utramque Reginam significare intenderint; ambæ enim re ipsa plurimum Regis animo dominabantur; cum hæc illius Mater, altera vero conjux esset: Exterorum vero nomine significabant Principes Guisios, ex quibus Dux Regio exercitui, Cardinalis vero rei tributariæ præerat: verum eorum neuter pro alienigena jure haberi potuit, cum jamjam integrum ferme sæculum

Sæcul. XVI.
A.C. 1560.

Labour.
addit. aux
mem. de
Castellau:
Memoires
des Brant-
om. | tom. 3.

Sæcul. XVI.
A.C. 1560.
præterfluxisset, ex quo eorum Pater
Claudius Lotharingus natu minor
Antonii Ducis Filius in Francia sedem
fixerat, postquam Renatus Dux illius
Pater inter alia sua, quæ possederat,
bona eidem Guisæ Comitatum, postea
ad Ducatum, & Franciæ Paris ditionem
evectum reliquerat.

§. LXX.

*Calvinistarum consilia in conventiculo
in oppido Firmitatis prope Jo-
trum stabilita.*

Davila l. 1.
p. 31. & seq.
Beza hist.
Eccl. l. 1.
p. 256.
Hoc obtentu Calvinistæ ad concitan-
dam hanc conjurationem uteban-
tur, re tamen ipsa nil aliud intende-
bant, quam Calvini sectam per Fran-
ciam iisdem stabilire mediis, quibus
Lutheri hæresis in Septentrione propa-
gata fuit, scilicet, Religionem Catho-
licam penitus exterminando, ac præci-
pua Monarchiæ legem & fundamen-
tum evertendo: Hoc quoque suorum
consilium luculentissime manifestabant
in primo conventiculo, quod in oppido
Firmitatis prope Jotrum in summo silen-
tio tenebant, ubi ex Condæi Principis
suafu præcipuorum, quos sibi addictissi-
mos habebat, amicorum Oratores, Pro-
testantium Ministri, ac ceteri potissima
ex parte reformatarum Ecclesiarum De-
putati